

Memoriae ac honori viri
dum viveret, consultissimi
ac clarissimi, dn. Olai

...

1 Ic 1671 Wexionius, Olaus Ola



National Library
of Sweden

744

17

MEMORIE AC HONORI
VIRI DUM VIVERET,
CONSULTISSIMI AC CLARISSIMI,

DN. OLAI VVE
XIONII J. U. Doct. eximii,
Collegæ atq; commilitonis no-
stri in hac Regia Acad. Aboensi
perindustrii; nunc in coelis beati:
hæcce consecramus in luctu re-
lictæ, Professores & amici:



ABOÆ, Excusa à PERO HANSONIO, Anno 1671.

17

1671



Consultissime VVEXIONI

Uorsum pergis? & cur nos destituis tuis consiliis ac jucunda conversatione? voluissimus diutius Te frui, si fata iussissent. Mihi vero quanto propinquior fuisti vivus, tanto ego te decedentem nunc lugeo acerbius: Vale sic Ultimium in his terris compellatus a me

PETRO Bång! b. l.
Acad. Rectore.

EPITAPHIUM

Consultissimi VIRI, P. M.

Dn. OLAI WEXIONII, J. U. D. ac Professoris Aboënsis quondam celeberrimi, &c.

Affinis desideratissimi:

DOCTOR OLAUS quondam ut non personatus amicus.

Sed fuit egregius; Magnus erit moriens.

Non sic Tyndareus Choridon ardebat Alexin;

Candida quam nobis flamma duobus erat:

Hinc etiamnum aveo vivum id caput usq; turri,

Isse suus tantum mi illatebravit amor.

En lepidos mores, en verba papavire sparsa

Quaeq; juvant ejus plura citasse bona:

Quis Sophia referet jurisq; utriusq; Minervam.

Dignè? post cineres fama superstes erit.

Vivit OLAUS Magnus Romanis per bene scriptum,

Notus Germanis, inclytus atq; Gothis:

Magnus OLAUS noster vivit, scio, per Benedictum,

Inq; Polo Jesum, cui benedixit, habet!

Indelebilis recordationis causâ positum

Ab

ENEVALDO SVEN. Q. G. A.

S. S. Th. D. Prof. Pub. & Past. Ab.

Severiora

SEveriora judicia nec timere debet nec placare cupit, qui-
Scunq; fatis publicis usq; adeo innexa esse contendit sapi-
entia studia eorumq; Professores, ut horum copia quoddam
quasi pignus fortunæ publicæ deponatur. Certè, qui re-
gulam operum sibi constituit, utilitates publicas attollere,
rem utramq; tenerrimæ esse conservationis fatebitur. Qui
verò centrum ignobile actionibus elegit, sua amplificare;
atq; vel ævi genio, vel civilis vitæ fastu, literas contemnere
didicit; si simul (quod par esset) eruditione vacuos animos
ita ab honore ita à præmio abesse procul conspiceret, atq;
olim à convitio aberant & probris literæ & literati, par-
cius ille mente simul ac linguâ ea deformaret quæ hone-
stè semper sunt habenda. Ita de hisce publici status signis
& fulcimentis ut heic cogitarem, pius sed tristis monuit
obitus COLLEGÆ nostri Consultissimi, DOCTORIS WE-
XIONII; Cujus industria singularis, ut publicum egregium
prolixè hæctenus juvit, ita inopinatus decessus progressibus
juventutis publicè utilibus, damnum dabit non exiguum.
Cum desiderabitur qui memorabili successu, per amplissi-
ma juris spatia legumq; obscuritatem, via nec impeditâ nec
longinquâ, erecta ingenia deduxit. Et ita deduxit, ut sa-
pientiam civilem, rem sanctissimam, pretio nummario nec
æstimaret nec dehonestaret.

*Huic ergo Collegæ conjunctissimo, Magnorum merito-
rum viro, nostris usibus subtracto, triste hoc
officium fecit*

NICOL. TUNANDER.

NON est hic statio nobis sat tuta, manensq;
In cælo stabilis permanet ecce! locus.
Sunt mala quæ assidue turbant pia pectora, nec Sors
Constanti, credas, stat remeatq; pede.
Casus ubiq; levis, morbus, vis lurida Lethi
Vivida corrodunt viscera terrigenum.

Sic decus Eunomia, Sophia Doctorq; celebris
WEXIONI, Exemplo atq; exprimitis ista Tuō.
Nunc meliora tenes, post tot discrimina rerum,
post varios casus tendis ad astra poli.
Christus Ti vita est, ingens mors pallida lucrum,
In caelo Patriam, qua gloriaris, habes.

Hæc pauca in memoriam Desideratissimi D. COLLEGE
& fratris sinceriss. licet valetudinarius reliquit.

A X E L I U S K E M P E
Pol. & Hist. P. P.

Hæc subitas rerum facies, quas tristia fata
Immutant, mundos, suos hoc vulnere facto
Ostentant nepos, quibus est obnoxia tota
Posteritas hominum, quos devius error ab illis
Legibus avertit quas sanxit in orbe Creator
Omnipotens, jussitque simul servare parentes
Primævos. Hinc omne malum, hinc mors atra nepotes
Invasit, toto & fatum dominatur in orbe.
Exemplis domus ac urbs omnis & orbis abundat
Funeribusq; suis terra est impleta. Vicissim
Nostra dolet magnâ hæc Academia clade, perempto
Juris Consulto: qui tanta volumina legis
Cæsarea, patriaq; simul monstrare juventa
Sævetus erat, quem fama suis super æthera vexit
Laudibus atq; canet longis annalibus olim
Posteritas, subitâ & surreptum morte queretur.

Sed quia sic visum superis: tu mæsta marita
Orba domus, Musæq; simul compefcire luctum.
Victor obit vester, niveo subvectus olympo.
Letus agit, Mundi ridens adversa, triumphat
Ante Dei faciem, laudesq; & carmina celsâ
Voce sonat, lauro cælesti pulcher, ab omni
Liber ovataq; malo. Quis hanc contemnere sortem
Vel damnare velit? lachrymis abstinate mæstis.

Cæteris curis impeditus in honorem piæ defuncti Consultiss.
Dni. Professoris & Collegæ scribebam subitò

MARTINUS MILTOPÆUS.

QUERELA

in obitum

præmaturum quidem sed pium,

VIRI

Quondam CONSULTISSIMI & PEREXIMI,

vñv ðv ðγιοis

DN. OLAI O. WEXIONI; In Re-

gia Univerſitate Aboenſi J. Utriuſq;

Doctõris percelebris;

Occidit *Eunomia* Doctor WEXONIUS, olim
Qui docuit pubem, jura tenere, ſacram.
Publica miſceri ſic gaudia ſæpè videmus
Luctibus; unde gemunt nunc viduata domus,
Pulpita cum cathedris noſtri, præcepta, Lycei,
Unde dabat Juris; luget & ipſa *Themis*.
Pindus ait, noſtros feriunt hoc funere colles
Parcæ, nec planctus conticuere Dæ.
Gracia ceu quondam magnum fleviſſe *Platonem*.
Fertur, & eximios *Palladis* arte viros:
Te quoq; noſter amor, *Themidos* celebrate ma-
Extinctum deſlet ſic ſtudioſa cohors. (giſter,
Sors tua ſed melior lacrimas abſtergat amaras:
Namq; oculis luſtras mœnia cœlicolum.
Jam tibi formoſi panduntur limina cœli,
Cœleſtisq; patet janua *JESUS*. Age!

*Quam in gratam memoriam deſuncti beatiffimi
carmine hoc extemporaneo reliquit*

JACOB. FLACHEENIUS.

Obitum Amplissimi & Consultiſſimi VIRI
Dn. OLAI WEXIONII Juris Utriuſq; Doctoris
& Professoris in Academia Aboenſi digniſſimi
ita occupatiſſimus luget :

*SI tua fata, Deum, Parnasse, agnoscere sedes
Et veteres memorare velis lacrymasq; dolores,
Quis conquestus eras Ptolomæi nostriq; Galeni
Haud pridem occubitus celeresq; ex orbe recessus,
Has iterum renovare vices tibi certa dolorum
Causa redit duplicare jubens suspiria & omne
Quicquid in hâc serie faciem ferat undiq; tristem.
Quippe vides quanto sit saucia vulnere sacra
Turba novena suo citius privata Magistro,
Et Charites sacrisq; cohors addita Camœnis
Cernis quæ incedant ex ordine Syrmate nigro,
Precipue alma Themis, seu quos sibi junxit amore
Vel mutuis studiis hic consternantur & uno
Ore ferunt omnes querulasq; ad sidera voces
Mittentes geminant: Jaceat Doctoris OLAI
WEXIONII ut Corpus sine vita animaq; cadaver:
Cujus in immensas curas abiere labores
His inter Musas quoties sermone disertio
Disseruit doctè jurisq; volumina pandens
Utraq; phæbeam docuit cum foenore turbam.
Nunc Cathedras mutas vacua & subsellia itemq;
Tristes spectata oculos juvenum, vacuumve cubile
Quos repetet luctus. quod carmen flebile conjux!
Tantus honos montis concussus morte Magistri
Ordinet in lacrymas Musas, harumq; patronos
Et juga Parnassi nigro tegat undiq; amictu
Donec concoctus dolor interit atq; sacra
Diva Themis legis custos meditetur honores
Parnasso porro dandos cathedrisq; locavit
Qui tanto gravitate Viro succedere possit.*

JOHANNES FLACHSENIUS
Mathem. P. P.

Quicquid habet mundus, quicquid complectitur orbis
Nunc vere summa fert novo gaudia; nunc supera
Regna poli splendent; lætantur nubila, tellus;
Nunc verna gaudent flamina, nunc mare, nunc Sylvæ.
Fletibus ora rigat sed cur Phœbi chorus omnis?
Gemit, repletq; corda cur tristia suspiriis?
Sed nec mirum, Pierii quia gloria gregis
Nunc WEXIONIUS ponit ecce caput letho,
Effundens animam letho sua lumina solvit
Hinc mœsta cōjux solvitur in lacrymas meritò,
Solvitur in lacrymas meritò tristissima proles,
Gemunt amici, scicelidum quoq; tota cohors.
Sed quia nil prodest in fletum ducere voces
Sit fletibus modus lacrymisq; effusis.
Vere novo nunc lætatur, radiantis olympi
Et WEXIONIUS poli regna beata tenet

GABRIEL TAMMELINUS
Sch. A. R.

Mors mortis mortem mors morte redemit
Idcirco non est mors metuenda probis,
In requie resident animæ mihi crede piorum,
Et mors tormenti non magis tangit eas.
Ergo Doctorem quid nunc lugetis ademptum?
In patrios sese contulit ille lares
Æternis fruiturq; bonis tituloq; perenni
Divorum Eximius Doctor in orbe cluit.

Extremi officii ergo deproperebat

GABRIEL E. FORTELIUS
Bohn.

Dira procellosi miscent dum prælia fluctus,
 Volvitur in pelago circumtranantibus undis
 Halcyonis nidus tor pendulus inter aquarum
 Cæruleos montes diductoq; æquore valles.
 Sunt segetes variis subjectæ casibus alar
 Floribus & nitidis veniunt suâ damna ferenda;
 Quæ modò prostermit multo cum pondere grando,
 Deprimit ac imber, torret modò flammifer æstus
 Sæpius & gelido labuntur frigore læsa.
 Eheu! Cretorum mortali sanguine vita
 Pluribus ipsa malis premitur, nec mansio tuta
 Hic cuiquam; sævis mœrorum fluctibus omnes
 Jactamur, donec nostros mors occupet artus.
 Comprobat hoc **DOCTOR**, convexa ad sydera natus
WEXONIUS, doctas quondam qui Pallados artes
 Edidicit vigili studio, docuitq; Juventam,
 Antistes Sophiæ clarus Themidosq; Professor.
 Hic mundi pelago, morborum fluctibus atris
 Luctatus nimium; sed funere mersus acerbo.
 Quam lugent Musæ, lugent Clarij; vireta
 Exinctum plangunt & pulpita cella Cathedræ.
 Conjugis ast lacrymis tellus madefacta tepescit,
 Dum dilecta suam deslet cum prole maritum.
 Sistantur lacrymæ cessent suspiria mœsta:
 Nam colit Elysi **DOCTOR WEXONIUS** arva;
 Corporis exuvias volamus concedere busto.

*Debiti honoris & gemitibus
 hæc paucula cecinit*

JOHANNES G. SALMENIUS.
Rect. Cant. Aboëns.

